

PROGRAMMA,
DE
EXPERIENTIA
RATIONALI,

DISPUTATIONI INAUGURALI,
PRÆNOBIL. & CLARISSIMI MEDICINÆ CANDIDATI,
DN. PETRI CHRIST.
BURGMANNI,

Rostochiensis,

DE
DEMONSTRANDI
RATIONE IN ARTE
MEDICA,

IN AUDITORIO MAJORI,

Die Aug. Anno MDCCXXVI. habenda.
præmissum,

Quo Suo ex Facultatis Medicæ Nomine

Magnificum DN. RECTOREM, Illustris
Regiminis Confilarios, Patres Conscriptos Utriusque
Senatus, Universos & singulos Academiae Cives,
omnesque Literarum Fautores,
humanissime & officiosè invitat

CHRISTOPHORUS MARTINUS
BURCHARDUS,

Medicin. Doct. & P. P. O. & ad h. a. Decanus.

ROSTOCHI, typis Jo. Jac. Adleri, SER. PRINC. & Acad. Typog.

1726, 2
14





Experientiam & Rationem duo fulcra
esse Medicinae, nemo forte Medicorum hodie
negaverit: Sed quid per Rationem quid per
Experientiam intelligendum, non omnibus
aeque constare videtur. Certe uti isti qui Stu-
diis parum instructi ad Praxin subito provo-
lant, & ex uno aut altero Autore formulas
quasdam Medicamentorum exscribunt, frus-
tra gloriantur de *Experientia*, cum nihil ex-
erceant nisi caecam *Empiriam*; Sic contra isti,
qui nimium tribuunt *Rationi*, sive *Hypothesibus Philosophicis*, frustra
gloriantur de *Medicina Rationali*. Et sane quod *Experientiam* attinet, non
confundenda illa est cum singulari *Experimento*. *Experimentum* enim
aliquod fortuito nonnunquam succedit, quod tamen alia vice, cum idem
tentatur, non succedit. Non quod aliquid fortuitum sit in *Rebus Physi-
cis*; nam omne profuit ex suis causis, adeoque fit ex necessitate. Verum
quoniam nobis vel *subjecti*, vel *instrumentorum conditio* non satis per-
specta est, aut ipse operandi modus non perfecte constat, hinc est, quod
non semper eventus respondet intentioni. Postquam autem idem *Expe-
rimentum* saepius est reiteratum, & tandem omnes circumstantiae, qua-
rum in *Subiecto* tum *Instrumentis*, & eorum applicandi *ratione* requi-
runtur, nobis *multiplici usui cognita* sunt, tum demum *Experientiam nos
possidere gloriarum licet*. Is vero qui *Experientiam* talem obtinet, quoties
idem opus repetit, non amplius *Experimentum facit*, sed *Artificium*, quo-
niam effectum habet in potestate. Itaque *Experimentum* circa singularia
versatur; *Experientia* vero ex *universalium*, sive ex *multiplici Experi-
mentorum*

mentorum, eadem ratione evenientium, cognitione consequitur, & præsupponit accuratam notitiam Subjecti & Instrumentorum; non e- quidem plenariam aut Philosophicam, sed in quantum ad Finem pro- ducendum faciunt

Facile ergo apparet, Rationem à Vera Experientia plane esse inseparabilem: Ratio enim est, quæ ad omnes circumstantias, ad Effectum producendum necessarias attendit; Ratio est, quæ ex hisce particularibus, toties expertis, universalis sive Axiomata format; Hæc autem, Principia constituunt Demonstrationum. Ratio denique est, quæ Axiomata ista vicissim applicat ad particularia, quoties nempe idem effectus intenditur, & sic Artificem suarum rerum certum reddit, ut, positis ad finem obtinendum omnibus requisitis, istum ex necessitate consequatur, & qualis futurus sit, tuto prædicere possit. Et in eo conveniunt omnes Artes, ut Rationem in Experientia habeant fundatam; & contra, omne Rationis negotium, quod neque ex antea expertis fuit, nec ad finem producendum confert, ab Artis limitibus merito removeant. Eadem vero & Artis Medicæ est ratio: id quod recte Animadvertit *Illustr. Coringius*, & *Philosophicam Corporis Humani Notitiam ad Medicinam non perimere*, ostendit, quum sine ea Medicus opus suum exercere possit. Sunt autem, pergit, *Medico necessaria illa, in quibus cum sanitas tum ægritudo cujuslibet parvis consistit*. Hæc autem unice addiscuntur, ex diligentibus observatione eorum, quæ in corpore cum sano tum ægro contingunt phenomenorum. Hinc recte *Celeb. Baglivius*, *Experientia*, inquit, & *observatio est solum ad quod dirigi debent Medicorum ratiocinia*. Quantumvis enim hæc Naturæ dogmata contraria sæpe numero sint Hypothesibus Philosophorum aut Medicorum, plus tamen roboris habent, & merito prævalent, quæ perpetuis Naturæ Legibus peraguntur: Propterea jam olim Hippocrates Ratiocinationem omnem, quæ Phenomenis Naturæ consuetis repugnat, etiam si probabilis aut sapiens videatur, tanquam futilem, vanam, imo in Medicina ut maxime damnosam rejicit & explodit, nullamque certitudinem agnoscit, nisi quæ ex consuetis Naturæ Legibus, sive phenomenis sensu manifestis, consequitur. (*) Nec obstat Hippocratem in libro de Decenti Ornatu Medicum

(*) Es hat zwar neulich ein gewisser *Socius*, von denen welche die teutschen *Acta Eruditorum* schreiben, über diese Art zu demonstriren in dem 117ten Theil sich gar höhnisch gemacht; Er zeigt aber damit nichts als seine wahre Unwissenheit in *Analyticis*, ob er gleich sich selbst ansehete als einen *Philosophum* der bey der gelehrten Welt in grossen Ansehen lebe. Gewis ist



Medicum Philosophum pronunciaffe DEO similem. ()* Non enim iste Philosophum Theoreticum intelligit, ex Hypothesibus conclusiones formantem, sed qui ex istis, quæ secundum Naturæ Leges sunt, rite argumentari novit. Hinc statim sub initium illius Libri, Sapientiam in Medicina laudat, non vero inanem speculativam, hanc enim nil nisi Opinionem progenerare. *Opinio autem, pergit, maximo in Medicina in*
crimen

es, daß obige Art zu demonstriren ad vera Mathematicas gehöre, indem sie angestellet wird aus solchen Principiis die kein vernünftiger Mensch leugnen kan. *Quæ enim sensu evidentia sunt, & perpetua Nature Leges fiunt, illa constituunt Axiomata universaliter vera ac perspicua, adeoque quæ exinde immediate consequantur conclusiones, necessariæ perpetuæ sunt veritatis: Impossibile ergo est, veras esse istas Hypotheses, quæ sensu expertis repugnant.* Ich beruffe mich dieserwegen auff den berühmten Convingium, welcher schreibt: *Etenim sine ea (loquitur de Experientia sensuali ac Historica) scientiam profiteri, tantundem est, ac sine pennis volare: neque potest non referre tandem ludibrium, quisquis in ipsum tentare audeat; und bald darauff: Notum autem porro est ex Analyticis, Experientiam parere Inductionem, inductionem vero Principia demonstrandi, adeoque fundamenta conclusionum suppeditare.* Und weiter, *constat vero Omnem Demonstrationem fieri ex Principiis NB. sensu & Experientia cogentis.* Weil nun dieses nicht alle Gelehrte verstehen, und sich also unnöthiger Weise viele Schwärzigkeit machen, umb ihre Sachen a priori zu demonstriren, so sezet er noch ferner hinzu: *Certe genuina & vera Demonstrationis Natura hodie oppido paucis perspecta est, quæ res etiam Viros cetera doctissimos in graves errores inducit. Introd. in Ar. Med. C. I. §. 22. seq.* So lange also dieser Held seinen Rahmen nicht anzeigen wird, und wichtigere Gründe gegen meinen *Tractat de Anima Humana* anbringen, (denn schmähen und lästern beweiset nichts) werde ich ihm keiner Antwort würdigen. Ich kan ihm auch gönnen, daß er die Hirns Geburthen in *Philosophia Naturali* als lauter *Mathematische Wahrheiten* fernerhin betrachte: Was mich betrifft, so bin einer Meynung mit dem berühmten *Listero*, welcher in seinen *Exercitationibus Med. p. 44.* von solchen Hypothesibus schreibt: *Certe omnis diligentie rebus Naturæ accurate indagandis pestis & pernicies sunt. Proinde qualitates rerum, earumque causas apertas, non occultas quero, aut curo, virtutisque non infimæ semper esse credidimus* - - - *Stultitia caruisse.*

(*) *De decenti ornatu, S. 3.*

etiam vertitur, eam adhibentibus: his vero qui ea in se usi sunt, perniciem affert. Etenim si sibi ipsis in sermonibus persuaserint, & opus ex disciplina se scire putaverint, quemadmodum aurum adulterinum in igne judicatum, tales se ipsos esse demonstrant. (*) Sic in Libro de Præceptionibus sub initium monet, quod Medico competat curam morborum aggredi, non ratiocinatione probabili, sed NB. ratiocinatione tali, quæ superstructa est Exercitationi, sive Experimentæ. Ratiocinatio enim, inquit, est Memoria quadam, quæ componit ea, quæ per sensum olim sunt percepta. Itaque Hippocrates vult ut Ratiocinatio instituat ex ipsa Experientia: id quod brevissimis sed plane evidentibus verbis in libro de Decenti Ornatu §. 8. explicat. Sint, inquit, tibi in Memoria morborum curationes, & horum modi, quorupliciter & quomodo in singulis se habeant: hoc enim Principium est in Medicina, & Medium, & Finis. Sic etiam in Præceptionibus §. 1. pergens, si enim, inquit, ex his quæ actu sunt, Ratiocinatio initium fecerit, in Memis potentia esse comperitur. Si vero non ex evidenti aggressionem, verum ex probabili Rationis signo, sepe gravem & molestiam invehit affectionem, in ipsis nimirum ægrotis, in quorum Iudicis corio: Hinc mox subiungit: Fallax enim est, & ad errorem proclivis affirmatio, sive conclusio, quæ fit cum garrulitate. Quapropter NB. in universum his quæ sunt, inbere oportet, & circa hæc vel maxime versari, si quis suam ac minime delinquentem Habitum, quem sane Medicinam appellamus, sibi comparare volet. Et sic nisi fallor manifestissime apparet, qualis fuerit Medicina Hippocratis, & qua ratione illam exercendam præcipiat; nempe non ex Hypothesibus Philosophicis probabiliter excogitatis, sed ex Notitia morborum & remedium Historica. Hinc Celsus quoque testatur, quod Hippocrates, primus Medicinam separaverit à Sentiō Sapientie (*) nempe vanæ illius Theoreticæ, quæ neglectis sensu evidentibus, circa opiniones probabiles hypotheticas versatur. Atque hæc quoque ratio est, quod Hippocratis Medicina, Experientie præceptis suffulta, perpetua persistat, fluxam contra ac mutabilem sortem expertæ sint reliquæ Sectæ omnes, quæ Hypothesibus in Cerebro excogitatis fuerunt superstructæ. Non potest enim constans & perpetuum esse, quod merè fictioni innititur, sed serius ocus inanem sapientiam agnoscunt homines, & ejusmodi deliramentis animum olim addixisse indignantur. Et sane hoc studium Hypotheticum, ac sæpe calidissimæ disceptationes, quæ ex diversis partium studiis quovis tempore fuere pronatæ, non tantum Medicinæ ulterius

(*) cir. loc. §. 14.
 (*) In Præfatione.

terius incrementum remorata sunt, sed in causa quoque fuere, ut Veterum dogmata ac præcepta Aphoristica Experientia multiplici superstructa, vel negligerentur penitus vel certe corrumpantur, falsis interpretationibus ac commentariis fucata, quo eo melius recepta Autoris Hypothesi infervirent. Præterquam autem quod incertum ac instabile sit Studium illud Hypotheticum, quod circa abditas & primas rerum causas versatur, etiam plane extra Limites Artis Medicæ progrediuntur, qui nimium illis tribuunt; Quodsi enim Philosophis tandem liceret ad veram notitiam causarum primarum pervenire, nihil tamen utilitatis exinde in Medicinam redundare posset. Ut enim omnis Demonstratio, omnium Artium Certitudo, non ex principiis remotis, sed ex proximis immediatis consequitur, sic eadem quoque Medicinæ est ratio. Ut enim agnoscas, quo morbo Petrus decumbat, quid factu opus sit, & quibus remediis id præstandum, non ex contemplatione particularum Elementarium, sed unice ex Historia morborum ac remedium addiscendum. Hinc ipse Hippocrates Libro de Veteri Medicina: *Velut si quis de sublimibus in aere rebus, aut de subterraneis dicat, & quomodo habeant sciat, tamen neque dicenti, neque audientibus manifestum factis fuerit, vera ne sint, an secus - - Medicina autem jam ab antiquo existit, & principium ac via inventa, per quam multa & probe habentia comperita sunt, per multum adeo tempus & reliqua deinceps inveniuntur, si quis idoneus sit & jam inventorum gnarus NB. ex hisce ad perquirendum procedat. Quicunque vero his rejectis, ac omnibus reprobatis, alia via, aliaque forma inquirere conatur, & quid invenisse gloriatur, falsus est, & fallitur; Impossibile enim id est. Itaque nunquam non Viri Eruditi, & præ cæteris in Arte versati, sedulo monuere, ut Medici relictis inanibus Philosophorum tritis ab Arte nimium remotis, ad masculam Veterum Medicinam, quam Hippocrates inculcat, & ex indefesso observandi studio fluit, animum applicarent; cum nullus magis doctus liber sit, quam ipsum ægroti corpus, quippe quod omnium optime indicat, quid inter præcepta Artis, per Experientiam & concatenatas observationes firmata, & inter cæbrina quorundam systemata interlit. Nemo autem copiosius & feliciori successu id egit, quam Celeb. Stablius, & Incomparabilis Baglivius, cujus Praxin tanti faciebat Illustris Hiærne, Archiater Regis Sveciæ, ut aperte profiteretur, se nunquam ex librorum forulis protrahere exitium hoc opus, quin osculo dignaretur illud, divino, ut aiebat, Spiritu Inscriptum. Sed cum idem argumentum plenius in Disputatione Inaugurali exposuerit, & nisi me omnia fallunt, non solum solide, sed etiam plane evidenter demonstraverit Clarissimus Dn. Candidatus, B. L. eo remittimus, paucis adhuc de vitæ ipsius Curriculo acturi.*

Lucem ergo Prænobilis & Clarissimus Dominus
Candidatus
CHRISTO-

PETRUS CHRISTOPHORUS BURGMANNUS,

adspexit hic Roskochii, die 24. Nov. An. MDCCCL. Patre Viro Venerando
 Excellentissimo, Dn. Magistro JACOBO BURGMANNO Græcæ Lingvæ
 in hac Academia quondam Professore Celeberrimo, & ad Ædem Div.
 Nicolai Pastore Primario. Matre vero CATHARINA MARGARETHA
 BESELINIA, Viri Illustris JOH. CHRISTIANI BESELINI, Consularii
 Inrimii Filiâ. Habuit ergo Noster statim, quæ Hippocrates ad verum
 Medicum desiderat, Ingenium, sive Naturam, Locum studiis aptum; Insti-
 tutionem à puero, ac Industriam, quippe quæ postmodum succedere: nam
 statim cum ætas id passa, informationi Avunculi sui, Viri Præclarissimi Dn.
 Magistri ERHARDI SPRENGELII, Scholæ Patriæ Rectoris, traditus,
 prima literarum rudimenta didicit & plenius excoluit; mox privata
 manu ductione usus est Viri Præcell. Dn. Magistri DIHNII WisMariensis,
 & utriusque fidelem operant, quam, in ipso formando impenderunt,
 gratâ adhuc mente prædicat. Ao. MDCCCLIX. Nomen dedit Civitati Aca-
 demicæ, & quamvis Medicinæ operam addicere animum induxerat,
 non tamen illotis manibus in ejus penetralia irrumpere voluit, sed
 animum Philosophicis Studiis prius præparare: in quem finem Colle-
 gium Logicum & Physicum sub Auspiciis Summe Reverendi ÆPINI
 Theologæ Doct. & Prof. Celeberrimi, audivit. Anno sequente vero to-
 tum se tradidit Medicinæ, neque in Physiologicis & Botanicis præ-
 ceptum habuit; Integrum, vero ut ajunt, Medicinæ cursum absolvit du-
 ctu Viri Præclarissimi & Experientissimi, Dn. Doctoris SCHAPERI, Practicæ
 Famigeratissimi. Quo finito, ad exteras Academiâs excurrere decrevit,
 ut præprimis in Chirurgia, Anatomia, ac Chemia plenior sibi com-
 pararet notitiam. Non tamen hanc Academiâm deseruit, priusquam
 Specimen aliquod Eruditionis publice ederet, habita dissertatione de
Genesi Sensationis, sub Præsidio Fratris Sui, Viri Venerandi & Præcellen-
 tissimi Dn. Magistri BURGMANNI, Pastoris ad Ædem S. Spiritus Vigi-
 lantissimi. Circa exitum ergo Anni MDCCCLXIII. hinc abiens, Aca-
 demiam Juliam primum invisit, allectus Fama & Meritis Cel. HEISTERI
 & cum iste in eo esset, ut Collegium Anatomicum & Chirurgicum aper-
 rirer, avide occasionem arripuit, & inter Auditores nomen professus est.
 Interfuit etiam Administrationi Anatomicæ, quam in Cadavere Mascu-
 lino publice incomparabilis ille Anatomicus instituit, Collegium Dis-
 sputatorium in Physiologicis habuit sub auspicio Dn. SCHMIDII, Medi-
 cinæ Doctoris ac Professoris Celeberrimi. Publicas quoque prælectio-
 nes Excell. Dn. D. SPIESSII in Nenteri Praxin frequentare non neglexit.
 Nec prætermisit occasionem commigrare ad Nundinas Brunsvicenses,
 & quæ

& quæ in Amplissima Urbe, & vicina Principum sede, Guelpherbyto
 occurrunt notatu digniora, præprimis Instructissimam & Augustam illius
 loci Bibliothecam curiosius explorare. Tandem Anno 1704
 ad famigeratissimam Musarum Sedem, Academiam Jenensem, pedana
 transfuit, & Celeberrimos in Arte Viros ADOLPH. WEDELIUM in Chi-
 rurgicis ac Physiologicis, item Collegium de Febribus, & de Medicamen-
 torum Compositione Extemporanea, prælegentem audivit. TEICHMEYE-
 RUM in Physica Experimentalis, ac Chæmia, frequentavit WIDEBURGUM
 vero Mathesin privatim, & publice Mechanicam corporis animalis structu-
 ram explicantem secutus est. His eruditionis copiis instructus, reliquis
 Academiis, Erfurtenſi, Lipsienſi, Hallenſi, ac denique Wittebergenſi, in tran-
 ſitu ſalutatis, iter per præcipuas Saxonie Inferiores Urbes, Magdeburgum
 Zellam, Luneburgum, ac denique Hamburgum, in Patriam remensus,
 circa medium Anni 1705, ad nos rediit: Et nihil nunc deesse vi-
 debatur, quam ut tot vigilis ac laboribus iusta tribuerentur præmia:
 Itaque ad Examina Consuetæ admittus, talem se nobis exhibuit, ut nulli
 dubitaremus, quin ad Examen Publicum & Honores, qui ipsum man-
 ent, admitatur. Cum itaque Dies Augusti Disputationi Inaugurali
 destinatus sit, hinc ut iste Actus magis solemnis & Illustrior reddatur,
 Magnif. Dn. RECTOREM, Illustris Regiminis Proceres,
 Utriusque Reipubl. Patres, Dnos Doctores, Licentiatos Verbi
 Divini Ministros, Philosophiæ Magistros, Generosos item
 ac Nobilissimos Dnos Studiosos, ea qua decet Observantia &
 Humanitate invito.

P. P. Sub Sigillo Facultatis Medicæ,
 Die Aug. Ao. clb DCC XXVI.




Rostock, Diss., 1724 / 27



St.







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

PROGRAMMA,
DE

EXPERIENTIA
RATIONALI,

DISPUTATIONI INAUGURALI,
PRÆNOBIL. & CLARISSIMI MEDICINÆ CANDIDATI,

DN. PETRI CHRIST.
BURGMANNI,

Rostochiensis,

DE
DEMONSTRANDI
RATIONE IN ARTE
MEDICA,

IN AUDITORIO MAJORI,

Die Aug. Anno MDCCXXVI. habenda,
præmissum,

Quo suo ex Facultatis Medicæ Nomine

Magnificum DN. RECTOREM, Illustris

Regiminis Consiliarios, Patres Conscriptos Utriusque

Senatus, Universos & singulos Academiæ Cives,

omnesque Literarum Fautores,

humanissime & officiosè invitât

CHRISTOPHORUS MARTINUS
BURCHARDUS,

Medicin. Doct. & P. P. O. & ad h. a. Decanus.

ROSTOCHI, typis Jo. Jac. Adleri, SER. PRINC. & Acad. Typog.

1726, 2
14

